



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

922. Quinam vocandi, & quorum consensus adhibendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ne. Castrop. loc. cit. citans Sanch. in Decalog. l. 7. c. 29. n. 171. Quòd si tamen is sponte comparuerit, allegando justam causam contra unionem est audiendus, juxta Ventrigl. cit. n. 17.

Questio 920. An in unione faciendâ per Legatum, seu ex commissione Papæ vocandus sit Episcopus, cujus collationi subjacet beneficium uniendum?

Respondeo negativè: Quia etsi is per talem unionem priveretur in posterum collatione beneficii talis uniti, hoc tamen præjudicium provenit ex natura unionis, quam ipse Ordinarius seu Episcopus facere deberet in beneficio spectante ad suam collationem. Garc. loc. cit. n. 222. & cum eo Castrop. loc. cit. contra Ripaml. 2. q. 18. n. 7. Gamb. de pot. leg. rub. de pot. leg. in uniendo. nu. 114. & alios apud Garciam, qui etiam n. 223. ait, illud, quod Pet. de Perus. de union. c. 5. q. 6. dicit, quod licet Episcopus non potest unire sine consensu Ordinarii collatoris, ita nec Legatum, id, inquam, intelligi de Ordinario collatore inferiore.

Questio 921. An vocanda sit plebs, vel Dominus loci?

1. **R**espondeo ad primum negativè. Barbof. loc. cit. n. 40. citans Rebuff. in pr. reg. 21. Cancell. de union. gl. 11. n. 1. II. & 12. Hojed. de incomp. p. 2. c. 3. nu. 9. Sanch. ubi ante. nu. 163. Garc. cit. c. 2. n. 219. Tond. qq. benef. p. 146. 37. nn. 5. Ventrigl. loc. cit. n. 20. Castrop. cit. nu. 23. Si tamen plebs compareret, audienda erit, si causam rationabilem allegaret pro non faciendâ unione. Barbof. Tond. Ventrigl. Garc. Hojed. Rebuff. ll. cit. In casu tamen, in quo necessarius esset consensus populi ad unionem faciendam, sufficiens illius consensus elici non potest ex eo, quòd major pars coram Commissario Apostolico testimonium in causa unionis tulit; consensus siquidem populi in casibus, quibus necessarius est, non separatim, sed simul, & collegialiter præstandus est, & communitate legitime congregatâ Tond. loc. cit. citans Monet. de commur. ult. vol. c. 7. n. 398. & DD. in c. cum omnes. & in c. cum M. de Constit. & in c. in Genes. de Elect.

2. Respondeo ad secundum: Idem quod de plebe dictum, dicendum de Domino loci, quòd ejus vocatio, multòque minùs consensus sit necessarius. Tond. loc. cit.

Questio 922. Quinam igitur vocandi, & quorum consensus adhibendus?

1. **R**espondeo primò in genere, omnes illos vocandos, & eorum requirendum consensum, quorum interest, seu in quorum præjudicium cadit unio, ut si quid habent contra unionem, opponant: ita ut, si eorum unus negligatur, unio sit nulla, tam jure communi, nempe Clem. unic. §. ad hæc. de statu Monachor. quam jure novo. Tirid. sess. 7. c. 6. Card. de Luca. de benef. d. 49. nu. 12. Garc. p. 12. c. 2. n. 203. Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 2. n. 21. Ventrigl. to. 2. annot. 8. §. 2. nu. 18. cum communi. Et quidem ipso jure esse irritam unionem, si non vocetur, quorum interest, ait Barbof. loc. cit. num. 51.

2. Respondeo secundò in specie: Tales sunt, quibus competit jus conferendi beneficium uniendum, vel jus præsentandi, aut eligendi ad illud,

seu collatores, patroni, electores; quia his omnibus notabiliter per unionem præjudicatur; siquidem jus conferendi, præsentandi, eligendi quod possident, extinguitur per unionem. Castrop. loc. cit. n. 22. ubi de Electoribus expressè, uti & Barbof. loc. cit. n. 49. Lott. l. 1. q. 28. n. 159. (ubi: quòd ad vocationem eorum, qui possunt interesse præterire, duo sunt, patronus, vel ille, cui Ecclesia subest, & collator: igitur vocandi sunt ex necessitate) Ventrigl. loc. cit. citans Chok. ad reg. 13. Cancell. n. 28. Caccialup. de union. a. 6. Novarin. singul. Concl. tit. de union. Concl. 7. alias 329. n. 4. & De collatoribus etiam expressè Garc. loc. cit. n. 205. ut habet Rota in Terrisina 28. Jun. 1593. quòd dictum, in unione faciendâ de beneficio solere, & debere exprimi possessionem juris conferendi, si qua penes aliquem est, maximè jure speciali competens. Hi ergo omnes vocandi, ut consensum præstent, adeoque sine eorum consensu non fit unio. Castrop. loc. cit. Sanch. ubi ante. n. 167. & 168. citans quamplurimos. Porro Episcopo unienti, enuncianti, se horum omnium citationem fecisse, non creditur, nisi id aliunde probet. Castrop. cit. nu. 22. Ventrigl. loc. cit. §. 1. n. 22. sic decisum referens à Rota in Verellenf. unionis. 23. April. 1610. Garc. loc. cit. n. 213. ubi: Contra patronum aut inferiorem Collatorem non præsumitur eorum consensus, etiam si in unione enuncietur ab ipso Episcopo; nam aliàs esset in facultate Episcopi illi præjudicare. & n. 202. ubi ex Rebuff. conf. 20. vers. quòd responderetur, ait, quòd si per inferiorem à Papâ facta est unio, oportet probare non solum unionem, sed & consensum collatoris seu patroni. Quòd si autem patroni, collatores inferiores, electores vocati non comparerint, aut reuuant venire, vel denegent consensum (intelligere absque rationabili causa) quia in primo casu tacite consentire videntur, in secundo verò casu irrationabiliter dissentiunt, poterit faciliùs unionem facturus ad illam procedere. Castrop. loc. cit. nu. 22. in fine. Probatâ tamen priùs, ut idem, & per sententiam declaratâ necessitate, & utilitate. Possè tamen tam patronorum quam electorum & inferiorum collatorum consensum subsequi, tenet Barbof. loc. cit. n. 50. in fine. Tond. qq. benef. p. 1. c. 37. n. 2. citans Chok. ad reg. 21. alias 22. n. 28. Gregor. in instit. rei benef. c. 20. n. 10. & c. Et cur id fieri potius possit, quam in consensu Capituli, dictum fuit supra, quamvis meritò & de hoc dubitari possit; cum dum conceditur potestas uniendi, non minùs sub hac clausula: vocatis vocandis: seu quorum interest, quàm sub illa: de consensu Capituli, concedatur: adeoque non minùs peccatum contra formam præscriptam videatur, dum neglecta illa vocatio, & requisitus consensus, illud hic notandum, quòd, dum dicitur vocandos collatores, eorumque consensum requirendum, id intelligendum de inferioribus Episcopo collatoribus: cur enim is, dum per Legatum fit unio de beneficio, cujus Episcopus est collator Ordinarius, vocandus non sit, dictum fuit supra, ex Garc. cit. c. 2. n. 222.

Questio 923. Adhuc magis in specie, an & qualiter vocandi Patroni?

1. **R**espondeo primò: Ad valorem unionis requiretur vocatio & consensus Patronorum, tam Ecclesiasticorum quàm Laicorum. Tond. qq. benef. p. 3. c. 144. n. 8. & 9. Ventrigl. loc. ult. cit. Castrop. n. 21.